

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Oratio de Casparo Crvcigero**

**Melanchthon, Philipp  
Creutziger, Caspar**

**Witebergae, 1549**

**VD16 M 3747**

Decanus coellegii philosophici in academia Vvitebergensii.

**urn:nbn:de:bsz:31-61737**

DECANVS COLLEGII  
Philosophici in Academia  
VVitebergensi.

**G**RATIAS agimus tibi Deus  
Eterne Pater domini nostri Iesu Christi fons sa-  
pientie, quod immensa bonitate in his regionibus ser-  
uas Ecclesiam, teq; oramus ardentibus uotis, ne tue  
doctrinae lucem, & aliarum artium, quae Ecclesiae uti-  
les sunt, extingui sinas. Hec uota etiam in publicis  
congressibus nostris repetenda sunt, Ideo petimus ut  
omnes Doctores, Magistri, & auditores die Augusti  
uicesimo conueniant ad renunciationem gradus Ma-  
gisterij decernendi his, quorum nomina infra scripta  
sunt, & ut testes sint huius renunciationis, & ut si-  
mul nobiscum precentur Deum, ut Ecclesias, doctrinae  
studia, hospitia Ecclesiarum & disciplinam clementer  
in his regionibus, & in hoc oppido tueatur. Pertinent  
autem ad Ecclesiam & haec ipsa linguarum & Philo-  
sophiae studia, quorum propagatio nostro ordini com-  
mendata est, Manifestum est enim sine linguarum co-  
gnitione monumenta Prophetica & Apostolica non  
posse legi & intelligi. Nec raro fit ut ignari linguarum  
in interpretatione perinde aperire dicta Prophetica et  
Apostolica conentur, uelut οἱ τὰ ἑνλα κλειδι οὐκ  
ἔχον, τῶν δὲ ἀξιῶν τῆν δύσασιν ἀνοίγειν παρῶ μὲνοι.

Ac dolendum est tetros errores & contumeliosos aduersus Deum multis iam seculis heisse in Ecclesia, qui à linguarum et phrasis inscitia orti sunt. Deinde multà & magni usus sunt uniuersæ Philosophiæ, cum in hac tota uitæ gubernatione, tum uero etiam in explicatione dogmatum Ecclesiæ. Quare amanda & iuuanda sunt hæc literarum studia, Nec dubitemus nos labores nostros, quos sustinemus in eorum propagatione Deo placere, cui curæ crit, ne sint irriti, Nec frangamur animis propterea, quod aliqui de his studijs maligne sentiunt, sed ueras discendi causas cogitemus, & in doctrinæ custodienda fidem & diligentiam Deo, Ecclesiæ, & generi humano debitam prestemus. Laudanda est igitur uoluntas horum, quibus nunc testimonium eruditionis tribuimus, deinde & uere hoc prædicare possumus in hoc numero, Dei beneficio, plebrosq; egregie eruditos esse, quos speramus Ecclesiæ & rei pub. magno usui futuros esse, et ut faciat eos Deus σκενι ἐλέους salutaria ipsis & alijs, toto pectore optamus. Die Augusti 18. Anno, 1549.

## EPICEDION IN OBITVM

D. CASPARIS CRVCIGERI, SCRIPTVM

à Petro Lotichio Secundo.

**S**VMme Pater, sobolesq; patris, quiq; halitus afflas  
Omnia, qui firmans nos, ab utroq; uenis.

Te præ